



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

S. Thomæ Apostoli festo Paraphrasis in epistolam B. Pauli Apostoli ad
Romanos VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

IN FESTO SANCTI THOMAE APO-
stoli, Epistola beati Pauli Apostoli ad Ro-
manos VIII.

Sciamus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit. Et quos vocavit, hos & iustificavit. Quos autem iustificavit, illos & magnificavit. Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? Christus Iesus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei: qui etiam interpellat pro nobis? Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura, alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

In festis quorundam Apostolorum hæc non immerito legitur Epistola, in qua perfectissima charitas describitur, qua decebat Apostolos, qui primitias habebant, spiritus, præminere alijs. Itaque dicit diuus Paulus Apostolus: Scimus, per revelationem, indubitataque fide tenemus, *quoniam diligentibus Deum charitate seu dilectione quæ Domini custodit mandata intuitu placendi Deo, cooperantur in bonum omnia* ac conuertuntur illis ad profectum: adeo ut non solum aduersa & tristia, verum etiam si illos hallucinari ac deniare aliquando contingat, hoc ipsum illis proficiat in bonum, quia humiliores inde redeunt, doctiores, prudentioresque, & bonis actibus feruentiores deinceps insistunt. His scilicet, qui secundum propositum diuinæ prædestinationis, in quo perseverabunt, tamen aliquando ad tempus aberrant, redeunt tamen, ut propositum Dei in eis impleatur. Proposuit enim, hoc est, prædestinavit eos ad vitam venire: quod mutari non potest. Secundum hoc igitur propositum, non secundum meritum, vocati sunt sancti. Nam quos præsciuit saluandos, hos ut essent, prædestinavit quoque conformes fieri imaginis filij eius. Hoc est, hos ut fierent imitatores Christi prædestinavit, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, & primatum tenens in collegio sanctorum. Itaque quos ab æterno sciuit conformes fieri imaginis filij sui, etiam prædestinavit, hoc est, per oppositam

Rom. 8.

Quomodo
Deum dili-
gentibus om-
nia cooperen-
tur in bonum.

Proposuit
Dei in salua-
tione homi-
num qui in-
tellegendum.
Coloss. 1.

Prædestinatio quid sit.

Præscientia quænam significet.

Deus quomodo prædestinat vocatque ad gloriam.

Augustin.

Dilectionis Dei erga nos argumentum quod. Esaiæ 55.

gratiam illos præparauit, vt verbo crederent prædicationis. Omnis prædestinatio, est etiam præscientia: non autem omnis præscientia est etiam prædestinatio. Prædestinatio enim diuina solum est bonorum, quæ præparat ad gratiam: & est causa salutis nostræ. Prædestinat namque ea quæ est factururus. Præscientia verò est bonorum & malorum. Præscit autem Deus multa, quæ ipse non est factururus. Siquidem malorum præscit damnationem, cuius tamen ipse damnationis nequaquam est causa. Igitur quos præscit saluos fieri, hos & prædestinauit, quos autem prædestinauit, hos & vocauit ad fidem, & gratiam suam per inspirationem & illuminationem internam, per prædicationem externam, per angelicam custodiam & directionem. Et quos vocauit, puta secundum suum propositum prædicationis suæ, (sunt enim vocati alij quoque qui ad tempus credunt ac disingunt, sed non electi, nec perseverant) hos & iustificauit. Quomodo imperator quempiam diligens, si promouere ex plebeo genere illum vellet ad comitatum, daret illi ante opes, honores, officia, dignitates, quibus illum dignum tandem redderet comitatu illo, & propter quæ comes futurus idoneus æstimaretur: quæ tamen omnia prædicta, quibus dignus fieret comitatu, & ipsum comitatum ab Imperatore suscepisset. Hoc modo, quos Deus prædestinauit & vocauit ad gloriam suam, hos & iustificauit, idoneosque facit ac dignos cælesti præmio. Quapropter merita nostræ ac præmia, dona sunt Dei: ne cuius in nobis Deus coronat, quam dona sua. Itaque quos vocauit, hos & iustificauit, peccata eis dimittens, & gratiam infundens. Quos autem iustificauit, illos & magnificauit, id est, illos & magnos fecit, hic in sanctitate, & postea in gloria & felicitate æterna. Iuxta diuum Augustinum, prædestinatio præparatio est gratiæ in præsentia, & gloriæ in futuro. Vocatio gratiam offert & retrahit à peccato. Iustificatio gratiam confert. Magnificatio gratiam consummat in gloria. Quid ergo dicemus ad hæc tanta Dei nobis collata beneficia ac dona? Nunquid adhuc aliqua ex nobis habere putabimus? Haudquaquam: sed omnia ascribamus gratiæ. Si ergo Deus est, pro nobis, nos prædestinans, vocans, iustificans, & glorificans, quis contra nos erit? Itaque Deo in his omnibus pro nobis constituto, qui nobis in his voluerit aduersari, patet se, si bellare potuerit contra Deum. Adeo namque is diligit nos, vt filio suo non adoptiuo, sed proprio ac naturali non pepercerit, sed in mortem pro nobis omnibus tradiderit illum. Quia ergo quod maximū & sibi charissimum est dedit nobis, quomodo quicquam negare nobis poterit? imo quomodo non omnia cum illo donauit? Quis accusabit, seu accusationem adferre poterit vllam aduersus electos Dei? puta vt priuare eos his, quæ Deus illis gratis donauit, possit. Nemo prorsus. Accusant quidem in hac vita proximi, damnant & puniunt prælati, sed non vt bonis æternis nos spoliarent: quin potius, vt ad bona æterna nos dignos reddant ac parent. Diabolus quoque accusat, sed non electis nocebit, quin beatitudinem vltimam assequantur. Quis ergo accusabit? Nunquid Deus? Non. Quia ille est qui iustificat, idcirco non accusare, sed accusatis solet misereri. Homo hic seipsum salubriter coram Deo & coram sacerdote accusat. Sed hæc accusatio non facit vt electum peccata grauent, sed vt deleantur, ac non sint. Nemine igitur accusante, quis est qui condemnet? Num condemnabit electos

Iesus

Iesus Christus qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis? Minimè. Neque enim nos cupit condemnare, qui ad saluandos nos Deus homo factus ad nos venit, & pro nobis apud Patrem interpellat. Interpellare Christi, est seipsum coæterno Patri in electis nolit. Nempe id quod suscipiendo liberauerit. Quum ergo nos Christus a deo diligit, quis nos separabit à charitate Christi, vt Christum non diligamus? Nemo. Num faciet hoc tribulatio corporis? Num angustia mentis? Minimè. Num faciet hoc persecutio, vt relinquamus Christum? An fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Hoc est, num poena aliqua, aut persecutio, num mors, timor ve mortis, à Christi nos charitate separabit? Et hoc dico, sicut scriptum est de nobis, & hæc nostra vox est: *Quoniam propter te mortificamur tota die*, id est, propter te varijs pœnis afficimur, idcirco te non deserimus. Aestimati sumus sicut oves occisionis. Existimant enim nos sine vilo respectu misericordix debere occidi, cum nobis resistamus, sed parati sumus in simplicitate & mansuetudine nostra mori. Hæc omnia pro Christo patimur, sed non superamur. Quis potius in his omnibus superamus, victoresque efficitur: non tamen propter vires nostras, sed propter eum, qui dilexit nos. Dum enim illius amore inebriamur, sensum doloris amittimus. Si enim verè eius nos charitas rapuerit, si verè nos absorpserit, & nostrum in se affectum abduxerit cruciatum corporis, & dolorem nos sentire non finit. Certus sum enim, quia neque mors, seu moriendi timor, neque vita, scilicet voluptuosa quæ appetitur, & in qua est amor delectatioque viuendi, neque angeli, neque principatus, neque virtutes iuxta distinctiones quascunque Hierarchiarum, ordinumque beatorum spirituum, neque quæ instant præsentia, neque quæ expectantur futura, neque violentia aliqua, aut fortitudo, neque altitudo, seu potentia seculi, neque profundum astutix, prudentiæque secularis, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, qui melior est omnibus: quæ charitas Dei Patris erga nos manifestata est & exhibita in Christo Iesu Domino nostro, quem tradidit pro nobis in mortem, nos per eum & in eius constitutus adoptionis filios.

Interpellare
quomodo dicitur
Christus
pro nobis.

Psalm. 41.

1. Mach. 2.

Dolores nostros
quenam non sentite
nos faciant

Esa. 51.

EXEGESIS EVANGELII EIVSDEM

festi. Ioannis XX.

Hoc præsens Euangelium in octauis Paschæ legitur, quoniam quod tunc gestum fuit, narrat. Huic tamen festo congruit æque, quare etiam legitur hodie. Narrata namque apparitione prima, quæ Christi Apostolis simul constitutis facta est in festo Paschæ, sequitur quod hodie legitur Euangelium de sancto Thoma.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus.

Vnus ex duodecim Apostolis Thomas fuit. Siquidem duodecimum numerum tenere voluit Apostolorum Dominus Iesus. Dicit namque: *Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Duodecim elegit Christus, sed

Ioan. 6.

h Iudas

Iudas quomodo fuerit diabolus vocatus.

Actor.

Didymus cur fuerit sic vocatus Thomas Apostolus.

Dubitare cur Dominus permiserit Thomam

Beda. Gregor.

Ioan. 20.

Iudas diabolus fuit, participando diaboli malitiam, non naturam. Fuit autem apostolus Iudas verè, & ad apostolorum à Christo electus, id est, institutus, atque ex alijs discipulis desumptus, non tamen prædestinatione adoprioneque filiorum à Deo fuit electus. In hac enim gratia Iudæ successit Matthias, qui duodecimum numerum impleuit, qui adeptus est apostolatam, à quo prauaricatus est Iudas, & electionem adopruiorum, quam haudquaquã Iudas creditur adeptus. Hoc ideo dico quoniam numerus mansit apostolorum duodenarius, subrogato Matthia. Et hic ab Evangelista dicitur est Thomas vnus ex duodecim, licet tempore resurrectionis Christi, Apostoli tantum fuerint vndecim: paulo post tamen refarcitus est in Matthia numerus duodenarius. Itaque Thomas vnus ex duodecim qui dicitur didymus, hoc est, (vt veteres ex Hebræo interpretati sunt) dubitator, licet recentiores quidam dicant geminum. Quo subindicatur naturali fortasse vitio Thomam inclinatum, quo tardiuscule, nec facile credere alijs solebat. Permiserat autem hic Dominus illum naturali inclinationi non sine vitio succumbere ac vinci: sed hoc tamen non absque dispensatione singulari. Voluit enim Dominus prædilectum sibi Apostolum Thomam dubitare, ne nos dubitaremus. Aut si dubitemus, vera illius experientia instruamur. Dubitauit enim ipse propter nos, & ea in quibus nos hæsitare possemus, ipse hæsitans explorauit, & de veritate nos certiores reddidit. Quamobrem, vt Beda ait, plus mihi Thomas qui dubitauit, profuit, quam Magdalena, quæ cito credit. Igitur cum fero vna sabbatorum Apostoli essent simul, foresque essent clausæ propter metum Iudæorum (quod contigit in die Dominicæ resurrectionis) venit Iesus & stetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus. Discipulis itaque viso Domino gauisis, insufflando tradidit Spiritum sanctum Christus. In quo confessu Apostolorum, Domino apparente, absuit Apostolus Thomas.

Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Lucæ 24.

Augustin.

Thomas Apostolus cur abierit ex collegio Apostolorum.

Ex præcedentibus fortasse oritur quæstio, quomodo hic Thomas dicatur absuisse, cum Lucas referat discipulos illos duos, qui in Emaus abierant, fero rediisse Hierosolymam, & vndecim simul ibi inuenisse: quibus narrauerunt quomodo Dominum cognouissent in fractione panis. Ergo illo fero adsuit Thomas: qui nisi adsuisset, non simul fuisse dixisset Lucas vndecim, sed decem tantum. Cui obiectioni, iuxta Augustinum responderetur, Thomam tunc adsuisse, quando adueniebant discipuli duo ex Emaus redeuntes. Sed illis colloquentibus dum abiret paululum, interim venit Iesus ianuis clausis in medio discipulorum stans, & dicens: Pax vobis. Non igitur absque ratione erat, quod Thomas abierat, vel Domino propter nos hoc permittere, quo ex illius dubitatione & certificatione nos erudiremur, stabiliremurque in veritate, vel Thoma se indignum faciente, propter duritiam & tarditatem credendi. Siquidem à culpa excusatur Thomas, propter hanc duritiam. Licet enim Christus alijs quoque, quando ascensus erat

in cz-

In caelum duritiam & incredulitatem exprobrauerit, propterea quod his Marc. 16.
 qui viderant eum resurrexisse, non crediderant. Thomam tamen hic singu-
 lariter, vt sequitur, arguit, quando post dies octo propter ipsum solum appa-
 rens sanandum ei dicit: Noli esse incredulus, sed fidelis: modeste illum
 arguens incredulitatis praterita. Quocirca verisimile est cum Thomas mu- Lucæ 24.
 lieres de sepulchro venientes audisset, & Petrum sibi factam apparitionem
 narrantem, tertioq; discipulos ex Emaus redeuntes, longa tristitia ex passio-
 ne ac morte Domini perturbatus, omnes illorum sermones pertesus, pro-
 pterea quod rem nouam nec faciliter (vt sibi videbatur) credendam narra-
 rent, abiit ex loco quo simul erant discipuli. Quo absente interim alijs si-
 mul residentibus apparuit Iesus. Quod cum Thomæ postea redeunti signifi-
 carent discipuli, respondens. Nisi, inquit, videro fixuram clauorum, &c.
 Vnde conijcitur, quod nunciatum illi clarè fuerat, quod Dominus ostende-
 rat Apostolis latus & manus, inuitando eos ad tangendum. Videte, inquit, Ibidem.
 & palpite manus & pedes. Quamobrem Thomas respondit: Nisi videro
 fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mit-
 tam manum meam in latus eius, non credam.

Et post dies octo, iterum erant discipuli intus, & Thomas
 cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit
 eis. Pax vobis.

Vides hic benignitatem Domini Iesu, qui nobis omnibus, ne de eius re-
 surrectione dubitaremus, voluit succurrere. Atque ideo prædilectum disci-
 pulum permisi (vt prædixi) in dubitationem venire. Quem tamen nequa-
 quam in hac fluctuatione, seu duritia reliquit, sed propter illum rediens, om-
 nem de eius corde dubietatem sustulit. Nam post dies octo Dominus re-
 diit, cum iterum simul essent discipuli, & Thomas cum eis. Ianuis igitur
 clausis stans Iesus in medio discipulorum, dicit eis: Pax vobis. Quia verò
 Thomas cæteris fuit durior, ideo illum Dominus præ alijs quoque humi-
 liauit. Octo namque dies illum emendare distulit, vt interea ab alijs Apo-
 stolis instrueretur, idoneusque magis esset ad credendum. Nam salu-
 taris in vniuersum omnibus, mox Thomæ ostensurus, cuius gratia adue-
 nisset (nempe vt illius desiderio acquiescens, sese tangendum præberet) fecit
 quod sequitur.

Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide ma-
 nus meas: & adfer manum tuam, & mitte in latus meum, &
 noli esse incredulus, sed fidelis.

Ex ordine verborum indicat Thomæ, ad satisfaciendum ipsius desiderio
 sese venire, nec se latere verba, quæ alijs dixerat discipulis: Nisi videro fi-
 xuram clauorum, &c. Quo simul Thomas verè agnosceret adesse Christum, Matth. 9.
 quem frequenter audierat pharisæorum cogitationes arcanas, & secreta Marc. 4.
 cordium reuelasse. Et vide benignitatem Domini, pro vna anima adueni- Lucæ 5.
 tis, & vulnera sua ostendentis. Aduerte quoque quod diebus nihilominus
 octo Dominus respicientiam expectauit. Quo admonentur qui à Deo ad re-
 gimen sunt animarum constituti, quanta benignitate suorum exorbitantias

h 2 ad tem-

ad tempus dissimulent, donec prestita occasione, utilius admoneantur. Prodest interdum homini tentato mox ubi periculum sentitur, moneri & corripi: interdum prodest ad aliquam moram dierum dissimulari. Quando enim delinquentis animus ad excedendum pronus paulatim ex mora iterum à peccandi voluntate deseruescit, utilius est ipsum ad reditum iam se paratè expectare, ut tunc moneatur, quando id melius ferre potest. Si verò ex mora vulnus timetur ingrauescere, presenti quantotius occurrendum est remedio. Natura igitur hominis peccatoris corripiendi exploranda est, an duriora in eo plus valeant verba, an benigna mansuetudo. Omnia igitur tentanda, & quod ex multis congruentius videtur remedium est apponendum, ita ut in omnibus Dei potissimum quærat honor, & proximi salus atque profectus.

Est autem hic aduertendum, non ociose factum, ut Dominus in suo seruaet corpore vulnerum cicatrices. Erat enim primo hoc necessarium, ad astruendam veritatem resurrectionis. Hoc enim vehementer testatur nos eodem corpore quo hic viuiimus, quo delectamur aut patimur, resurgere, quando veritatem identitatèq; sui corporis post resurrectionem ostendit Christus, & cicatricibus vulnerum, & tactu deuotorum. Non enim Thomas solus tetigit, sed tetigerunt etiam mulieres deuoræ pedes eius. Hoc enim vno Thomam ad fidem adduxit, discipulos quoque alios in fide plenè instruxit ac roborauit, quod scilicet ostenderit eis latus & manus. Et, ut Lucas habet, dixit discipulis suis: *Videte manus meas & pedes*. Secundo seruauit vulnerum cicatrices, quo Patri quid pro nobis esset passus ostenderet, easq; pro nobis Patri offerret. De quo Ioannes ait in epistola: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Tertio, ad ostendendam suæ dilectionis erga nos magnitudinem. Si enim plagarum cicatrices, quas nostri tolerauerat amore voluit vel post resurrectionem seruare, quanto maiori cura nos non vult perdere, aut nisi nos obedire noluerimus, non amittere? Ad consolationem igitur nostram, vehementer hoc facit, quod suæ dilectionis, suæ passionis, suæ mortis, ipse quoque non obliuiscitur: quod quidem vulnerum & suæ passionis signa suo in corpore seruat. Quocirca in Esaia loquitur: *Ego tui non obliuiscar: ecce in manibus meis descripsite*. Quarto, ut nos ad redamandum se, ad confugiendum ad se, ad commorandum quoque in se prouocaret. Est enim ille probatica piscina, quinque porticus habens, quinque scilicet vulnera, in quibus languidi immergimur sanguine eius à peccatis nostris lauandi, & ab omni sanandi infirmitate. *Dilexit* (inquit) *nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, ut nos quoque illum redamemus, & stolas nostras lauemus in sanguine agni.

Quinto, ad electorum gloriam, & impiorum ignominiam & damnationem seruauit quinque vulnera. In iudicio enim exhibebit hæc, ostendens, quid pro hominibus passus sit, & quam iustè hi qui grati fuerunt inde consolentur: qui verò ingrati, supplicijs inuoluantur.

Respondit Thomas, & dixit: Dominus meus, & Deus meus.

Mox ubi Dominus Thomam solum alloquebatur, credendus est toto corpore.

Delinquentis correptionem quandoque differentiam certatione.

Naturam peccatoris explorandam.

Vulnerum cicatrices cur Christus post resurrectionem seruauit.

Math. 28.
Ioan. 20.

Luc. 24.

1. Ioan. 2.

Esa. 49.

Ioan. 5.

Apoc. 1.
Apocal. 7.

corpore contremuisse, credidisse perfectè, atque in excellentissimam hanc confessionem prorupisse, Dominus meus, & Deus meus. Tanta nullius Apostolorum confessio fuit aliorum. Quocirca, sicut præ alijs dubitavit & fide fuit tardior, ita in confessione quoque alijs fuit sublimior. Et qui per dubitationem fuerat humiliatus, per deuotissimam confessionem, iterum est exaltatus. Tu, inquit, es Dominus meus, magister meus, qui me redemisti. Tu quoque es Deus meus, qui me creasti, qui pro me carnem assumpstisti, quâ vt me à morte liberares, cruci affixisti. Sunt qui putant Thomam præ reuerentia gloriosi corporis Christi exhorruisse tactum, & immersionem digitorum in cicatrices benedicti illius corporis, cuius putant indicium, quod Dominus postea respondit: Quia vidisti me Thoma credidisti. Non enim dicit, quia tetigisti me, credidisti. Sed alijs videtur benignè Dominum nobis consulere voluisse, vt pro nobis non solum visu, sed etiam tactu gloriosum eius corpus ex mortuis resurgens exploraretur. Vnde creditur Thomas ante tactum perfectè credidisse, tactum libenter præ reuerentia corporis benedicti subtrahere voluisse: verum propter Domini mandatum, non iam ex curiositate, sed ex deuotione & obedientia paruisse. Cognouit enim Domini in hoc esse voluntatem: quare hac in re non sibi, iam non dubitanti, sed plénè credendi satisfacere habuit, quin potius Christo obedire.

Confessio D. Thomæ cur fuerit præ aliorum Apostolorum gloriofior.

Vulnera Domini gloriosa quanta cū reuerentia Thomas tetigerit.

Dicit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt:

Quia vidisti me, quia sensisti, quia intellexisti me esse, qui pro te pependi in cruce, credidisti. Beati autem magis sunt illi, qui non viderunt, & crediderunt. Quia vidisti me, inquit, credidisti. Quomodo potuit Thomas credere quæ vidit? Quæ enim videmus, non credimus, sed scimus. Sed dicendum est, aliud Thomam vidisse, aliud credidisse. Christum namque vidit, corpus eius tetigit: Dominum verò & Deum suum exclamans, id quod videre non potuit, puta Deum suum esse Christum, credidit. Corpus eius tetigit & cicatrices, quia sic Christus tangi voluit: quo Apostolis omnibus, simulque nobis manifestaretur eundem resurrexisse, qui fuerat crucifixus, neminemque pro eo alium suspicemur suscitatum. Idcirco cum signis crucis resurrexit Christus, coramque discipulis manducauit. Quod signum permagnificerunt Apostoli in Actis, dicentes: Qui cum eo simul manducauimus & bibimus. Et Ioannes: Quod audiuimus, quod vidimus, quod perspeximus, & manus nostra contrectauerunt de verbo vite. Dicit fortasse quis, quare Thomam Dominus non solum à tactu corporis sui non prohibuit, sed ad tangendum etiam inuitauit, quum Mariam Magdalenam à tactu prohiberet, causam huius inferens. Nondum enim, inquit, ascendi ad Patrem meum. Quæ quidem ratio, non minus in Thoma locum habuit. Dicendum, Magdalenam idcirco prohibitam, quia præ lætitia cordis cogitabunda ac præceps, vt solebat iuxta pristinam consuetudinem familiariter eum tangere: aut (vt quidam volunt) amplecti voluit, nihil de maiestate tunc ipsius cogitans sublime, aut magnum. Vnde quod illi dictum est, Nondum ascendi ad Patrem meum, non de corporali, gloriosaque ascensione Dominus dixit, sed loquebatur de ascensu suo per fidem veram in corde Mariæ. Hæc enim ascensio in cælum ibi

Thomæ Apostolus qui nam dicatur vidisse & credidisse.

Luce 24. Acto. 10. 1. Ioan. 1.

Ioan. 10. Maria Magdalenam cur fuerit prohibita tangere Christum. Ioan. 10.

Fides vera
quanti sit
meriti.

1. Cor. 9.
Fides vera
cur apud
Deum sit
tanti meriti.

significat Christum sedere ad dexterâ patris, hoc est, æqualis esse Deo Patri. Hoc in illa subita perturbatiōe iuxta ac exultatione nondū capiebat B. Magdarena. Quærebat enim corpus eius sublatū, vr illius haberet curâ. Quod nō fecisset si perfectè credidisset. At Thomas A postolus perfectè credidit, ideo rāgere meruit. In illius enim corde ad Patrē ascēderat Dominus, Patri credebatur æqualis, quando dicebat: Dominus meus, & Deus meus. Deinde ad consolationem futurorum, Beati, inquit, qui non viderunt, & crediderūt. Quasi diceret: Non opus est, vt quisquā conqueratur, existetur ve, quod me nō viderit in carne resurrexisse. Maior est enim horum fides, potiorq; qui, me non videntes crediderunt, atq; hi sunt propterea beatiores. Maximū enim, aut inter maxima vnū, quo mereri nos facit Deus, est fides. Et viderimus quomodo propter nos, ad vtilitatemq; nostrā, Deus omnia abscondit & reuelat per fidem. Parum hic, aut propemodū nihil scimus de futuris, sed credimus ea tantum: quod multo nobis est fructuosius, quàm scire. Scire enim quid habet laudis aut meriti, cuius habes experimentum? Porro, fides difficultatem habet credendi quod non vides, quod non intelligis, quod denique non capis: sed ideo credis, quia Deo summo maximo & optimo te & tua cuncta subijcis, captiuans intellectum tuum in obsequium Christi. Nisi enim credere difficultatem haberet, non tanti esset meriti fides. Iam verò quo maiorem habet difficultatem vt possit credi, minusq; de persuasionē humana, puta cū res sit tam ardua, vt humano non possit persuaderi ingenio, nisi per fidem crederetur Dei verbo, eo magis est meritum fidei. Quam integram firmamq; nobis largiatur Dominus noster Iesus Christus, qui est benedictus in secula. Amen.

Euangelium hoc idem reperies studiose Lector, etiam elucidatum cum egregio de pace multiplici Sermone in prima parte de Tempore, scilicet, in octauis Paschæ.

SERMO IN EODEM FESTO.

*Cuiusmodi fuerit fides in B. Thoma
salutaris.*

Hebr. 11.

Fides ad salutem necessaria quæ Galat. 5.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Ioannis vigesimo. Si Paulo credimus, sine fide impossibile esse placere Deo, non debemus mirari, si vel Thomæ sancto Apostolo, vel nostrum cuiuslibet præcipiatur: Noli incredulus esse, sed fidelis. Hoc enim præcipitur, quod a deo nobis est necessarium, vt absque illo saluari poterit nemo. Est igitur fides omnibus necessaria, non tamen quælibet fides saluare potest, sed ea tantum, quæ charitate ardet, & quæ per dilectionem operatur. Si enim credis Christum propter te natum, propter te mortuum, propter te resurrexisse, & non obiederis eius voluntati, nec ea vitaueris, quæ prohibet, non potest hæc te fides saluare. Quare? Quia charitati non est coniuncta. Neque enim sola fides tibi est necessaria, sed etiam spes & charitas. Vnde si credis, & non diligis, nihil tibi blandiaris de fide: quia fides hæc absque charitate mortua est, neque

neque

neque ardens. Est enim similis candelæ ardenti fides charitati coniuncta, quæ lucet, tibi viam ostendens in tenebris, ne offendas. At verò, si candela exiustata fuerit, manet primo quidem quasi fauilla in elychnio quædam ignea, sed non calefacit, nec lucet, qua videas aut discernas. Ita fides, quam exustat amor priuatus, aut mundanus, extinguatur, vt ibi non sit fidei adiuncta charitas, sed nuda fides tantum, quæ neque luceat, aut ardeat ad præbendū calorem. Hæc fides ociosa est, mortua est, & informis, quæ stat cum peccato mortali. De hac dicit Iacobus in epistola. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? Tu credis, qui vnus est Deus. Bene facis. Et demones credunt, & contremiscunt: non tamen ex hac proficiunt ad salutem, quia non diligunt. Non diligentes autē, nec operari possunt opera ad beatitudinem fructuosa. Quomodo igitur corpus mortuum est, quod spiritu caret & vita, ita fides mortua est, quæ charitate caret in opera mouente. Viuat igitur fides per charitatem, & charitas prodat operationem necesse est. Operationem hic voco actionem & conatum, siue in operatione bonorum operum, siue in abstinentia malorum operum, siue in confessione ac luctu peccatorum, siue in Dei laude, operumque eius, ac beneficiorum, gratiarumque actione, ac confessione. Huiusmodi fidem viuam, charitatisque coniunctam, Christus Thomam habere voluit, quando dixit: Noli esse incredulus, sed fidelis. Quod intelligens Thomas quoque, in actum fidei mox prorupit, hoc est, in confessionem, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Deinde quoque post Domini ascensionem ac Spiritus sancti missionem, cum Thomas esset in Cæsarea, illumque Dominus mitteret in Indiam: quamuis Indos ægrè accederet: propter Domini tamen voluntatem libenter obediuit. Siquidem Christo illi apparente, & dicente: Rex India misit questum archiepsum, quo volo, vt accedas. Cui Thomas. Quocumque, inquit, Domine volueris mitte me, præterquam ad Indos: Cui cum respondisset Dominus. Vade securus, quia ero tecum. (Nam cum Indos conuerteris, cum palma martyrij venies ad me.) Thomas quātocius respondit: Dominus meus es tu, & ego seruus tuus: fiat voluntas tua. Vide hic cuiusmodi in Thoma fuerit fides. Num vt ocio vacaret, nemini que prodesset? Num vt duntaxat credens Iesum, iuxta suum affectum siue delectum deinceps viueret? Minimè. Sed fuit in eo fides. vt dixi) vera, viuens, ardensque, atque impellens, qua credidit Deum, Dei que Filium Dominum Iesum. Hæc docuit illum, hæc illum excitauit, stimulauitque, vt quem crederet Deum ac Dei Filium, adoraret vt Deum, coleret vt Deum, honoraret, diligeretque vt Deū, obtēperaret quoque vt Deo. Hæc fides vera fuit fidelis, & salutaris. Vide igitur iam in S. Thoma quomodo ipse credens Dei Filio obediuit. Vide ad que opera Domino se resignauerit. Næpe ad exiliū inter barbaros, ad famem, sitim, labores, derisiones, pœnas & ad mortem. Hæc enim illi, omnia euenerunt inter prædicandum. Hæc pertulit alacer & lætus, quia non solum, fide, sed etiā charitate plenus erat. Gaudebat in tribulationibus, gaudebat pro nomine Iesu contumeliā pati, exultabat pro Christo mori: nō ob aliud, quam, quia amabat eū, in quem credebat, in quem sperabat. Hoc porro desiderium moriendi pro Christo Thomæ non fuit nouum, sed quando hic Christum sequebatur in terris ambulantem, nihilominus*

Fides vera quomodo candelæ ardenti comparatur.
Fidem veram quænam exsufflent.
Iacob. 2. Ibidem.
Fides mortua & informis quæ sit.

Fides viuæ quæ sit.
Cuiusmodi fidem salutarem habuerit S. Thomas.

Obedientiā fidei S. Thomæ qualis fuerit.

Fides adfusa quæ sit.

Obedientiā S. Thomæ quam fuerit magna.

Act. 13.



- cum Christo cupiebat mori. Siquidem ægrotante Lazaro, miserunt sorores duæ Martha & Maria ad Iesum nunciantes: *Domine ecce quem amas infirmatur.* Itaque Domino dicente: *Eamus in Iudæam iterum,* dixerant Apostoli trepidantes: *Domine, iam querebant te Iudæi lapidare. & tu iterum vadis illic?* Porro Apostolus Thomas alios exhortans, roboransq; Apostolos, *Eamus,* inquit, *& nos, & moriamur cum illo.* Quo quid aliud ostendit, quam propositum, voluntatemq; resignatam ad commoriendum Christo? Secundo fuit in Thoma fides zelans. Nam hortabatur alios Apostolos (vt dixi) ad commoriendum cum Christo. Non illi erat satis, vt Christo solus hunc deferreret honorem. Cupiebat enim etiam ab alijs honorari, quomodo fidelis seruus Domini sui debet zelari honorem & seruentium fidelitatem, ad quod cuncti tenentur Christiani: puta execrari, odisse & persequi irreuerentiam, probrum, contemptum, inobedientiamq; Dei, eiusdemq; agnitionem, cultum, laudem, honorem ac gloriam procurare & promouere. Quod Psalmista faciens, dixit: *Tabeſcere me fecit zelus meus: quia oblitus sum verbatum inimici mei.* Honorem Dei zelans, eiusdem detestabatur in hoc irreuerentiam, quam ægrè ferebat in malis: deinde illius honorem promouere quoque cupiens, *Docuero inquit, iniquis vias tuas & impij ad te conuertentur.* Hoc modo S. Thomas quoque Domini zelabatur honorem. Dolebat Indorum animas à sui conditoris agnitione aberrare & perire. Dolebat diabolo honorem, qui Dei erat solius, offerri. Conabatur eos creatori suo adducere. Idcirco illis prædicans, Dei veri notitiam infudit. Nam abstinere à peccatis, credere in Christum, orareq; Deum in omni loco docuit. Biennio autem Indis prædicabat. Sed proh dolor, quanta vidit intereablaſphemiarum portenta, quantas idololatricæ insanias, quot abominationes paganorū, & diabolica sacrificia? quæ omnia, quia ad Dei fiebant iniuriam, Thomas non potuit non animo vulnerari contuens. Hæc autem arguebat, hæc demoliebatur, hæc deprecabatur, & vt ad Christum conuerterentur, obnixè etiam rogando, eos inuitabat. Hæcine fides est charitate zelans & ardens, quæ proximos pariter, non se tantum, saluari satagit. Pro hac re in laboribus continuis constitutus, docendo, palam prædicando, increpando, consolando, miracula faciendo, sanitatūq; præstando beneficia, occupabatur. Quid, quod pecuniam maximam ad constructionem palatij à rege Indorum sibi traditam Thomas in pauperes erogauit? Nonne regem diligens, ei qui terrenam cupiebat sibi domum ædificari, Thomas nobilissimam fabricauit domum non manu factam in cælis? Vides, quam credulus fuerit, tenaxq; Euangelici consilij à Christo traditi, quo Christus monuerat non thesaurizare nos super terram, vbi fur appropinquat, erugo consumit, tinea quæ demolitur, sed thesaurizare, inquit, vobis thesaurum in cælis. Curabat igitur regi nobilius palatium, quam putarat ille, per pauperes ædificari, curabat pauperū manibus thesauros in cælum portari, illuc regi ædificaturus præmittebat thesaurum, simul quæ interea egenorum leuabat inopiam, in eadem re bis miseriors, bis prouidus. Vbi estis vos diuites, qui palatia & paradisos vobis hic ædificatis? Quam diu possidebitis? an semper habitabitis super terram? Sed dicitis: Non habemus in his delectationem. Bona verba. Gratis ergo in lutum tot aurorum milia projicitis. Si non delectat vos fastus ille, & ædificorum
- Ioan. 11.
Fides zelans
que sit.
Zelum cuius
modi omnis
Christianus
pro Deo ha-
bere tenetur.
Psalm. 118.
Psalm. 50.
Zelo quanto
B. Thomas
honorè Dei,
animarūq;
salutem, ze-
latus sit.
Palatium quo
pæcho ædifi-
cauerit Indo-
rum regi S.
Thomas in
cælis.
Hebr. 3.
Matth. 6.
Lucæ 12.
Ædificia
pretiosa &
curiosa diui-
tium quam
execranda.

orum superbia, quare non dedistis egenis pecuniam, qui reciperent vos in aeterna tabernacula? Heu quomodo fallimini, & vos ipsos fallitis. Aliter Lucæ 16.
 regi Thomas consultum voluit. Nam etiam ignoranti palatium in caelo constitutum, curavit. Aberat per id temporis, rex India à regno Gundaphorus vocatus. Atque ideo Thomæ copia erat maior populo prædicandi, Ecclesias construendi, & ministros constituendi sacramentorum. Rediens autem rex, ut nihil vidit ædificatum, Thomam simul ac Abianem præfectum, qui Thomam adduxerat, in carcerem coniecit, mente trañans, quo genere eos mortis perimeret. Verum, interea frater regis moritur, atque post triduum nondum sepultus, à Deo resuscitatur, narrans quam augustum viderit palatium, quod regi fratri suo Thomas in caelo construxisset: prædicansque sanctitatè Apostoli, fecit ut rex Apostolum è vinculis educeret, veniamque humiliter ab Apostolo peteret. Sanavit autem Apostolus omnes infirmos qui adducti fuerant, & multa hominum milia baptizabantur. Dixi igitur Thomam fidem habuisse zelantem. Cupiebat nanque Deo reddi honorem suum, cupiebat animas recuperare statum caelestis paradisi, ad quem creatæ fuerant.

Pari modo autem, quod hic laudamus in sancto Thoma, debemus imitari omnes. Nemo enim non tenetur ex lege charitatis sui proximi salutem, bonum ac commodum zelari. Magnopere enim nobis curandum est, Zelandum quomodo sit unicuique pro proximo suo.
 summoque studio conandum, ut nihil proximis nostris, quicquid in nobis est officij, obsequij, auxiliijve ad salutem eorum pertinentis negemus, nihil subtrahamus: sed in omni genere misericordiæ succurramus proximis, quomodo Christus monet, dicens: *Omni petenti te tribue*: hoc est, quacunque re indigerit frater tuus, illam, si habes & communicare potes, non impartire. Vide autem quam pulchrè Thomas eos quoque, qui se honorauerant, zelo diuini honoris pro temporali honore illis aeternæ salutis beneficia impetrauit: & iterum, quomodo eum, qui contumelia sanctum affecerat Apostolum atque iniuria Deus ultus est? Ut discas Deum quicquid seruis suis viderit exhibitum aut coronare, aut punire, perinde ac si sibi ipsi esset factum. Nam ubi Thomas Apostolus à Domino missus ex Cæsarea, ut supra dixeram, cum Abane India præfecto demigraret ad Indiam, in via venerunt Andronopolim: ibi tunc accidit, ut rex illius ciuitatis nuptias seruaret filio suo Dionysio, desponsata illi puella nobilissima Pelagia. Quibus nuptijs interesse rex præceperat omnes. Itaque cum ibi esset quoque Abanes cum Thoma, puella quædam unicuique laudes aut comendationem illius aliquam canebat. Erat autem Hebræa, fortasse tum captiua illuc abducta puella. Videns igitur hæc Apostolum Thomam non manducantem, sed oculos in caelum leuantem, intellexit illum adorare Deum caeli, virumque esse Hebræum. Cantauit igitur, quod libentius iHum sciuit auditurum, ipsi in Hebræa lingua blatanens: Deus vnus qui fecit caelum & terram, & fundauit maria. Quod audiens Apostolus, attentus auscultauit. Videns autem quidam mentis præpositus, quia Thomas non manducaret, in maxillam Apostolum percussit. Quamobrem nihil indignatus Apostolus, nec meditatus vitionem, sed Deum pro illo rogauit, ut in hac vita, non in futura, mereretur propter hanc culpam puniri.

Præ-

Prænuñciauit igitur Hebræo sermone (quem puella intelligebat) se non discessurum ante de hoc loco conuiuij, quam canis manum hanc, qua fuerat percussus, per locum conuiuij circumferret. Quod protinus secutum est. Illum enim pro aqua recente abeuntem leo offendens, occidit, & sanguinem lambuit. Cuius corpus canes lacerauerunt: quorum vnus confestim cum manu e cadauere auulsa aufugiens, conuiuium intrauit, & percussoris circumtulit manum. Puella autem Hebræa, quæ audierat Apostolum loquentem, vbi id euenisse, quomodo ab Apostolo fuerat prædictum, sensit, ad pedes Apostoli procidit, eiusque laudes euulgauit. Porro rex illius ciuitatis Apostolum rogauit, vt sponso sponsæque benediceret. Quod annuens Apostolus, vtrumque benedixit, & ad seruandam virginitatem hortatus est. Est quoque illis sequenti nocte castè obdormientibus illata huiusmodi visio. Siquidem apparuit illis quasi rex gemmatus, eosque circumplectens, & dicens: Apostolus meus benedixit vos, vt vitæ æternæ efficiamini participes. Post hæc iterum illos conueniens Apostolus ait: Rex meus in visione vobis locus est, vultque vt mea in vobis benedictio fructificet. Habete carnis integritatem, quæ omnium est regina virtutum & fructus salutis perpetuæ. Virginitas soror est Angelorum, victoria libidinum, fidei trophæum, expurgatio dæmonum, æternorum securitas gaudiorum, & omnium bonorum possessio. Illis itaque baptizatis, & per discipulum sancti Thomæ illum missum multis conuersis, Dionysius regis filius ibi Episcopus factus est: qui sponsam suam Pelagiam sacro velamine consecrauit. Tertio, fuit in sancto Thomæ fides pertingens ad veram charitatem, perducensque ad illum, quem credebat. Nam sicut Thomæ fides nunquam fuit mortua, nec ociosa post Domini ascensionem, nec dubia, ita operans quæque per charitatem, nequaquam ociosè, gratis, frustra aut inutiliter operabatur: sed hoc credidit, quod docuit, quod quæsiuit, ad quod anhelauit, aliosque docuit & perduxit, hoc ipse assecutus est. Quid, inquis, est illud? Corona profecto regni cælestis, vita immortalis, æternitas beata, quam alijs prædicauit, alijsque ex ore Domini promisit, hæc ipse hodie Apostolus & martyr gloriosus assecutus est. Nam vbi eos quos ad Deum conuersos baptizauerat, instruxerat ad pietatem, vnitatemque ac pacem, tandem omnia repetens, eo modo quo Ephesios Paulus Apostolus, docebat simul & admonuit, dicens: *Obsecro vos in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate ac mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate: solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Quod re vera est præstare Christianum, germaneque Christum imitari. Exhortatione igitur finita, concessit ad superiorem Indiam, cupiens ibi quoque Domino populum lucrari: propter quod assecutus est etiam coronam martyrij. Vt enim ex diaboli faucibus gentem illam extraheret, morti vitam suam exposuit: sciens hanc esse Christi charitatem, vt quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, ita nos quoque pro fratribus debeamus animas ponere. Plurimum enim facere debemus animas fratrum nostrorum, quam corpora nostra. Quapropter vt illas à morte eripiamus, vltro (quod & Thomas fecit Apostolus) vitam nostram seu corpora nostra tradere nos decet in mortem. Igitur illuc vbi Thomas peruenit, magnam cito populi turbam, reginam quoque Syriacæ aceti

Virginitas carnis quantum sit laudata à B. Thomæ Apostole.

Fides pertingens ad charitatem quæ sit.

Ephes. 4.

1. Ioan. 3.

Animas proximorum plurimum esse faciendas quam corpora nostra.

ac eius sororem Migdoniam Charisij vxorem ad Christum cōuertit. Quo nomine tā à rege, quam à Charysio multis pœnis affectus est. Primū enim supra ferrum ignitum, seu super lameas ferreas cādentes (vt in eius gestis legitur) stare iussus est, sed non læsus: deinde in fornacem ardentem coniectus, aut, sicut gesta eius habent, in thermas æstuanes. Postremo ad templum Solis ductus, oratione ad Deum fusa, diabolo præcepit, vt idolū defereret, contereret, & abscederet. Quod vbi factum est, sacerdotibus in furorem versis, ab vno illorum gladio, seu quod Isidoro magis placet, lancea perfoctus est. Hac itaque gloria, puta martyrij, Apostolus cōronatus transfuit ad Christum. Nos igitur eius gratulemur lætitiæ: quandoquidem superatis omnibus huius vitæ laboribus, pœnis & incommodis quibuscunque, plenus nunc gaudio intravit in gloriam à Christo illi donatam. Imitemur ergo nos eius deuotionem, feruorem ac constantiam. Recolamus quanto fuerit robore Christi verbis mox in fide confirmatus, dicentis: *Noli esse incredulus, sed fidelis.* Quibus verbis vos quoque ô filij admonitos volo, vt articulos fidei, hoc est, Symbolum Apostolorum expresse articulatiq; credatis. Ea verò quæ in scriptura sancta habentur, & quæ credit Ecclesia ad minus implicite credatis. Symbolum enim Apostolorum nemini Christiano licet ignorere, nec ignorantem decet ad Eucharistiæ sanctæ accedere Sacramentum, donec illud discat. Videant hic parentes quomodo instruant proles suas, orationem puta Dominicam, Angelicam salutationem & fidei cōfessionem. Quod si neglexerint, grauissimam inde habebunt damnationē. Patrini quoque coram Deo reddent rationem, qui in baptismo pro infantibus baptizandis in fide sponderunt, illorum nomine respondentes, credo, abrenuncio, &c. quomodo instituerint filios, quorum in regeneratione hac spiritali facti sunt patres aut matres. Nam hoc ipsum mandatur in Iure Canonico, vt patet, ne consecratione dist. 4. c. Vos: vbi sic dicitur: Vos ante omnia tam viros, quàm mulieres, qui filios in baptismo suscepistis moneo, vt cognoscatis vos fidei iussores apud Deum pro illis extitisse, quos de sacro fonte suscepistis. Ideo semper eos admonete, vt custodiant castitatem, iustitiam diligant, charitatem teneant: & ante omnia Symbolum Apostolicum & orationem Dominicam addiscant. Et vos ipsi tenete, & illis quos de sacro fonte accepistis, ostendite. Postremo, non putetis Deo tunc satisfactum, si corde credideritis, nisi (vbi opus fuerit) etiam ore confiteamini. Ad omnem enim Christianum necessario pertinet, paratum habere semper animum pro loco & tempore fidem palam profiteri. Prius enim debet auferri vita, quæ potius est etiam amittenda, quàm fides, & interrogatum de fide, tacere non licet. Qui enim interrogatur, Christianus an sit, si tacerit, Christum negat. Nunquam pariter licet tempore persecutionis fidem clam in corde tenere, & ore negare: sed recordari oportet Christi dicentis: Qui me erubuerit, id est, confiteri timuerit coram hominibus, hunc Filius hominis erubescet coram Patre & Angelis Dei. Quod Deus à nobis auertat: sed in fide, spe & charitate perseverantiam nobis concedat Dominus noster Iesus Christus, in secula benedictus, Amen.

Martyrium S. Thomæ Apostoli quam fuerit horrificum.

Isidorus.

S. Thomas Apostolus in quibus sit nobis imitandus. Ioan. 20.

Credere que, nam quilibet teneatur Christianus.

Patres quid proles suas docere debeant.

Patrinorum negligentia periculum quantum inferet.

Patrini quomodo spirituales filios suos instruere debeant.

Fidem suam quando palam confiteri quilibet teneatur Christianus.

Lucæ 9.